

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4613

Bénéficiaire(s) : Bernon, Bourgueil, Saint-Pierre (abbé)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [...1012-1050...]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Notice de la convention faite entre l'abbé de Bourgueil et le prieur de Coudres, d'une part, et le chevalier Fourques, d'autre part, sur les moulins sis à l'Avre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Musset Lucien, *Actes inédits du XIe siècle* IV. Deux nouvelles chartes normandes de l'abbaye de Bourgueil, *BSAN* n°56, 1961-1962, Texte I, p. 8-10.

Dissertation critique

« Postérieur de quelques mois ou quelques années » à 1012.

Texte établi d'après a

Carta de convenientia facta inter abbatem Burgolii et priorem de Coldris ex una parte et Fulconem militem ex alia de molendinis qui sunt in fluvio qui dicitur Arva.

Haec est convenientia quem abbas Berno fecit cum Fulcone milite de molendinis.

Seniorum antiquorum nobis constat relatione traditum, ut de rebus antiquitus gestis, quid dignum memoriae recitandum tradamus posteris. Abbas Berno, quando habuit factam commutationem de Longavilla pro Turtiniaco cum abbate Rotberto et monachis Sancti Petri Gimmigiensis monasterii et revertebatur, devenitque in villam Sancti Petri Burguliensis quae dicitur Coldra, venit Fulco miles cognomento Niger de castro Droicensi, pater Gauberti et Hugonis militum. Isdem namque jamdictus miles Fulco requisivit ad Garnerium monachum, qui tunc officium prepositi fungebatur in predicta villa, videlicet Coldra, ubi coloni praefatae villae pergebant ad molendinum. Ipseque ei respondit quod ubi volebant pergebant ad molendas annonas suas. Et mandavit isdem F. per predictum monachum et per meliorem hominem de supradicta villa Coldra... nomine abbati Bernoni, ut villanos de ipsa juberet ire ad ejus molendinos. Abbas autem Berno audiens haec dixit quod in consilio monachorum et laicorum qui in presenti aderant in hac causa staret. Verumptamen monachi de monasterio Sancti Petri Burguliensis non viderunt nec in consilio fuerunt et quoniam auditu perceperunt minus sint contrarium, et interrogans colonos antedictae villae quid ex hac causa in voluntate haberent, illi vero dixerunt quod nusquam amplius talis res eis requisita fuisset. Ut Berno abbas interrogavit quales molendini eis plus prope essent, qui siti sunt in fluvio qui dicitur Arva, in tua namque providentia sumus ; nos et tota villa, si tibi placet ut nos ad supradictos molendinos pergamus, in jussione tua est tamen, prespice ut nil nobis mali in eundo et redeundo eveniat, et res nostras non perdamus ; quod si feceris, nullam conventionem cum Fulcone... respectu facito. Praedictus vero miles audiens assensit voluntati eorum, tali tenore ut si monachus qui prepositus praedictae villae erat, qualicumque hora enuberet et corpus et caballos suos in servicio Sancti Petri haberet ubicumque voluisset. Antedictus vero miles F., videns quod domnus Berno abbas ejus petitioni assensum daret, obtulit ei unum caballum ; ne forte diceret

quod pro emptione moulturae eum dedisset, sed in tali conveniencia recipiam caballum, ut si ab hodierna die nullum damnum hominibus nostris in via contigerit, annonam sive asinum perdiderint, ut tu eis emendes ; et si tu mortuus fueris, filius tuus qui loco tuo surrexerit, si talis homo non fecerit quem nescias nominare, aut invenire non possis, et annona autem monachi qui prepositus nostrae villae fuerit, nichil accipies, si perrexerit ad molendinos tuos, quia foris conveniencia fuit missa. Audiens autem isdem Fulco miles quod jusserat Berno abbas, ut omnes jamdictae villae coloni pergerent ad ejus molendinos sine contradictione ulla, gavisus valde dixit abbati : quem si invenero ullum ex iis omnibus qui ad villam Sancti Petri pertinent, qui aliubi pergat ad molendam annonam suam, jubes ut distringerem et erit gladius meus. Respondit ei Berno abbas : nequaquam, sed ad prepositum nostrum monachum reclamabis, et ille dstringat juniorem tuum, et reddat ibi molturam tuam, et monachus habeat legem de homine suo, et si ex hac conventientia negligens tu et filius tuus extiteritis, et homines nostri suas [res] perdiderint, et nichil tu eis emendaveris, abbas et monachi qui in loco Sancti Petri fuerint, tam presentes qui ex hac causa nichil sciunt quam etiam futuri, reddant tibi aut filio tuo unum caballum qui tres libras valeat ex denariis, et si tu mortuus fueris reddant pretium aut filiis aut parentibus tuis, et predicta convenientia amplius non teneatur si pergant villani ubicumque voluerint ad molendinos. Quandiu Fulco vixit, et in via molendinorum et ubique defendit homines Sancti Petri. Ex quo autem Gaubertus filius ejus loco ejus surrexit, non defendit illos sicut fecerat pater ejus, sed sunt multi homines vapulati atrociter et habent multas res perditas, videlicet annonam, asinos, denarios, vestimenta et multas res alias quas longum est enarrare. Auctores vero qui ad hanc convenientiam fuerunt cum abbate Bernone : Garnerius prepositus monachusque abbatis, Rotbertus Calvus bajulus ejus, Lambertus monachus. Laici vero fuerunt ii : Jonas et Nigrigerius Cirotmundus, Bemo prepositus de Longavilla, Gauscelinus. Ex parte autem Fulconis militis fuerunt hii auctores : Archambaldus et Gauffredus et Albertus homines Fulconis.